



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Communicare sub vtraque specie, an sit peccatum. tit. 96.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

illis poenam per esum sacramenti. Ideò Apostolus inquit, vt quis probet seipsum, &cæt.

Scire igitur quoquè oportet, quòd sub vna specie totum accipitur sacramentum, quia caro viua à sanguine non potest diuidi. Ideò Christus dixit, Hoc est corpus meum, scilicet viuum, non cadauer sine sanguine. Qui ergò diuidunt sanguinè à carne, aut diuinitatem ab vtraque, grauissimè peccant. Ex calice non, consecrato solùm ad os eluendum, bibitur vinum, non sanguis, sed sacerdos ex calice consecrato bibit sanguinem, &c. Voluit ergo Christus in Ecclesia sic esse corpus & sanguinem suum, ad confortandam fidem, vel quòd redempti sumus, aut vt credamus, quòd etiam lapsos nos iterùm vult recipere & incorporari &cæt. ei que reuerà incorporemur ac iungamur.

16.

COMMVNICARE SVB  
vtraque specie, an sit peccatum.

TITVLVS XCVI.

**P**rimò notandum est, quòd omnia sacramenta habent in se res duas: Primò, significationem sacramenti: Secundò, efficaciam, & virtutem gratiæ & doni Dei, quam per illa sacramenta donat, vt aqua baptismi denotat absolutionè à peccatis, sicut aqua lauat sordes: sed solum est signum, non autem operatur remissionem. Deus est qui operatur omnia in omnibus, 1. Cor. 12. Sic Deus per alia elemèta & media sacramentorum operatur gratiam, non ipsæ species, per se, aut materia elementi.

Secundò, hoc sacramentum Eucharistiæ, causa significationis, nò debet cōsecrari sub vna specie, sed sub vtraque, quia consecratio panis demonstrat corpus Christi oblatum pro peccatis nostris. Matth. 26. Et cōsecratio vini declarat, quòd sanguis est effusus,

Rr 4 &

& hæc duo fuerunt diuisa in morte Christi, vbi sanguis fuit separatus à corpore. Et ad hoc significandum consecratur & sumitur vtraque species à sacerdote, sed ratione efficacitæ seu virtutis gratiæ, non sunt necessariae duæ species. Nam sub vna specie æquæ utilis est operatio gratiarum, sicut sub vtraque: nec plus vel minus accipitur sub vtraque, quàm sub vna: id est, propter effectum & operationem gratiæ. Nam solum externæ species panis & vini, in quas transubstantiatur corpus & sanguis Christi, nihil faciunt ad rem, nullam conferunt gratiam, sed Deus operatur per illas gratiam: Idem non est ligata ad species.

Tertiò, inquit D. Cochlæus in libello contra Conradum Cordatum: Primò, accipere vtranque speciem, per se non pugnat cum religione Christiana, neque est hæreticum: alioquin omnes sacerdotes peccarent, &c. sed hoc non est Christianum, sed schismaticum & damnabile, hoc sacramento, quod institutum est propter unitatem & charitatem, (Multi enim vni corpus sumus, 1. Corinthi. 10.) vti ad discordiam & lacerationem spiritualis corporis Christi. 1. Corinthi. 12, Ephel. 1. Vos estis corpus Christi, &c. Idem siue sumatur sub vna aut duabus, quàm diù quis cum catholica Ecclesia discrepat, & non obedit, est in excommunicatione, & non potest nisi ad iudicium & cõdempnationem vti hoc sacramento: sic etiam baptismum & omnia alia sacramenta.

Cum ergò sub vna specie totum sacramentum sumitur, id est, corpus & sanguis Christi realiter, & fide quoque creditur, corpus & sanguinem Christi traditum pro peccatis nulla causa est excusans inobedientiam illam & schisma pessimum. Respondeant schismatici, vtrum corpus viuum an mortuum sumatur: si viuum non erit sine sanguine & diuinitate: si mortuum, tunc est corpus carens anima & corpus exanguine, quod in rerum natura non est. Et quid tunc comedunt, nisi

nisi nudum panem, & nudum bibunt vinum, sicut  
Zuingliani somniant &c. Cùm ergò non sit ibi re-  
missio peccatorum, sed sola memoria passionis &c.  
Luc. 22. idèò manendum est in obedientia Ecclesiæ.  
Luteus in libello de formula missandi: si Papistæ  
vtraque speciem sumerent, nos vnã accipere ve-  
limus &c. Eccè schisma & dissensio in vno corpore  
mythico Christi.

Ioannes de Gerson tractatu de communione laico-  
rum sub vtraque specie: Communio vtriusque speci-  
ei iam post ordinationem & prohibitionem concilij,  
est temeraria, seditiosa, scandalosa, & ritus Ecclesię  
turbans, & subindè æternæ maledictionis inductiua,  
quia melior est obedientia quàm victima, 1. Reg. 15.

*MORIENS SINE SACRA-  
mento Eucharistię an sit damnatus.*

## TITVLVS LXXXVII.

**P**RIMò notandum est, quòd venerabile  
sacramentum est signum fidei in Chri-  
stum, vt ei quicumque illo vtitur, sig-  
num sit verissimum & confessio Chri-  
sti, scilicet quòd corpus suum tradide-  
rit in mortem, & sanguinem suum fuderit, hoc illū  
credere, Matt. 26. Et nisi hæc fides præcedat sumptio-  
nem sacramenti, parùm proderit sacramentum: ob  
id Christus iussit accipere in memoriam passionis  
suz, Luc. 22. vt sic hæc fides semper renouetur &  
cõfortetur, quia credo Christū pro peccatis meis pas-  
sū, & resurrexisse propter meam iustitiam, Rom. 4.

Secundò, ex illo sequitur, quòd maior est commu-  
nicatio fidei, quàm corporalis communicatio: sine  
illanemo potest saluus fieri, id est, sine fide Chri-  
sti, nempe quod mortuus sit pro peccatis, si-  
cut & Christus Ioann. 6. dicit: Nisi manducauc-

Rr 5 ritis